

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XXVII. Continens Historiam Jesu Ex Cana Descendentis Capernaum,  
Et Ex Capernaum Ascendentis Hierosolymam: Quidque In Paschate Illo,  
Quod In Primum Annum Ministerii Ipsius Incidit, Egerit, Joh. ...

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

ria miraculi, singularis reverentia convivarum erga Christum præsentem excitata fuit, ut cum admiratione & gratiarum actione vino illo, in quo præsentem & quasi conspicuam Dei manum cernebant, uterentur. Et hæc commonefactio debet generalis esse, ne donis Dei abutatur. Debemus enim revereri manum Dei pro-

ducentis & porrigentis nobis vinum, ut lætificet cor hominis.

Hæc brevis annotatio capitum doctrinæ pro ratione instituti nostri sufficit. Non enim locos communes tractare, sed capita tantum doctrinæ ex vocabulis & circumstantiis textus monstrare constituimus.

## CAPUT XXVII.

## CONTINENS HISTORIAM JESU EX CANA DESCENDENTIS CAPERNAUM, ET EX CAPERNAUM ASCENDENTIS HIJEROSOLYMAM: QUIDQUE IN PASCHATE ILLO, QUOD IN PRIMUM ANNUM MINISTERII IPSIUS INCIDIT, EGERIT,

Joh. 2.

## RATIO ORDINIS.



Oharentiam & consequentiam harum historiarum Johannes certis circumstantiarum notationibus ita describit, ut nulla opus sit disputatione. Dicit enim, Iesum post editum primum illud miraculum ex Cana descendisse Capernaum, atque ibi mansisse ipsum diebus non multis. Sed cum propè esset festum Paschatis, ex Capernaum ipsum ascendisse Hierosolymam. Ac porro quid in Paschate illo Iesus fecerit, Evangelista describit. Ratio igitur ordinis manifesta est. Et hoc est Pascha primi anni ministerii Christi, secundum quod reliquarum historiarum hujus primi anni tempora constitui possunt. Scribit autem auctor vitæ Jesu, Pascha hujus primi anni incidisse in quintum Calend. Aprilis, hoc est, in 28. Martii. Secundi anni Pascha incidisse in decimum sextum Cal. Maji, hoc est, in 17. Aprilis. Tertii anni Pascha incidisse in nonas Aprilis: hoc est, in quintum Aprilis. Postremi anni Pascha incidisse in octavum Calend. Aprilis, hoc est, 25. Martii. Illa unde auctor iste habeat, ignoro: volui tamen ea hoc loco annotare. Observandum autem est, quod Epiphanius, & post ipsum alii, hunc des-

centu Christi in Capernaum, quem Joannes c. 2, 12. describit, eundem statuentes cum illo, qui Matth. 4. v. 13. & Luc. 4. v. 31. describitur, mirabilem confusionem historiarum in sequentibus, ex hoc principio non rectè considerato, faciunt. Sed res manifesta est, si circumstantiæ descriptionum apud Evangelistas diligenter considerentur. Johannes enim illum descensum Christi in Capernaum, quem cap. 2. v. 12. describit, dicit factum ex Cana, priusquam Baptista in carcerem conjiceretur: sicut expressè dicit cap. 3. vers. 24. Matthæus verò & Lucas disertè indicant, se describere descensum Christi in Capernaum, qui ex Nazareth post Baptistæ captivitatem factus est. Diversas igitur historias esse, manifestum est. Major verò & crassior confusio est, quod quidam hanc ejectionem vendentium ex templo, quæ sub initium prædicationis Christi facta est, Joh. 2. v. 15. eandem voluerint esse cum ea, quæ sub finem ministerii Christi, Matth. 21, 12. & Luc. 19. v. 45. facta est: cum toto triennio distent. Simpliciter itaque filium Iohannis Evangelistæ in hisce historiis, usque post captivitatem Baptistæ, sequendum est.

## HISTORIA PRIMI PASCHATIS, QUOD INCIDIT IN TEMPUS MINISTERII CHRISTI: ET QUID HIJEROSOLYMIS ET IN TEMPLO JESUS IN FESTO ILLO EGERIT, JOHAN. 2.

12. Μετὰ τὸτο κατέβη εἰς Καπερναὺμ, αὐτὸς ἡ μήτηρ αὐτοῦ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· καὶ ἐκεῖ ἐμῆναν ἕτερας ἡμέρας.
13. Καὶ ἐγγύς ἦν τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη εἰς Ἱερουσόλυμα ὁ Ἰησοῦς.
14. Καὶ εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ τὰς πωλοῦντας βόας, καὶ πρόβατα, καὶ περὶ στερῆς, καὶ τὰς κερματίας καθήμενας.
15. Καὶ ποιῶντας φραγέλλιον ἐκ σικυνίων, πάντας ἐξέβαλεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, καὶ τὰ πρόβατα καὶ τὰς βόας· καὶ τῶν κωλυθῆντων ἐξέχεε τὸ κέρμα, καὶ τὰς τραπεζὰς ἀνέστρεψε.
16. Καὶ τοῖς τὰς στερὰς πωλοῦσιν εἶπεν· Ἄρατε ταῦτα ἐντεῦθεν, μὴ ποιεῖτε τὸν οἶκον τοῦ πατρὸς μου οἶκον ἐμπορίας.
17. Ἐμνήθηται δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ὅτι γεγραμμένον ἐστὶν· ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου κατέφαγέ με.

12. Post hæc descendit Capernaum ipse, & mater ejus, & fratres, & discipuli ejus: & ibi manserunt non multis diebus.
13. Et in propinquo erat Pascha Judeorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.
14. Et reperit in templo eos, qui vendebant boves, & oves, & columbas, & nummularios sedentes.
15. Et cum fecisset flagellum de suniculis, omnes ejecit de templo, oves simul ac boves: & nummulariorum effudit as, mensasq; subvertit.
16. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc: nec facite domum Patris mei domum mercatus.
17. Recordati verò sunt discipuli ejus, quod scriptum est: Zelus domus tue exedit me.

T 4

18. Aπὸ

18. Απεκρίθησαν ἄν οι Ἰουδαῖοι, καὶ εἶπον αὐτῷ· Τί σημεῖον  
δεικνύεις ἡμῖν, ὅτι ταῦτα ποιεῖς;
19. Απεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Λύσατε τὸν ναὸν  
τῆτου, καὶ ἐν τρεσίν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν.
20. Εἶπον ἄν οι Ἰουδαῖοι· Τεσσαράκοντα καὶ ἕξ ἔτην ὠκο-  
δομήθη ὁ ναὸς ἐστίν, καὶ σὺ ἐν τρεσίν ἡμέραις ἐγε-  
ρῆς αὐτόν;
21. Εκείνῳ δὲ ἔλεγε περὶ τῶ ναὸ τῶ σώματός αὐτοῦ.
22. Ὅτε ἔν ἡγέρθη ἐκ νεκρῶν, ἐμνήσθησαν οἱ μαθηταὶ  
αὐτοῦ, ὅτι τῆτο ἔλεγεν αὐτοῖς· καὶ ἤπισευσαν τῆ  
γραφή, καὶ τῷ λόγῳ, ὃ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς.
23. Ὡς ἦ ἡ ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν τῷ παρῶ ἐν τῆ ἑορτῇ,  
πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, θεωροῦν-  
τες αὐτῶ σημεῖα, ἃ ἐποίεῖ.
24. Αὐτὸς ἦ ὁ Ἰησοῦς ἔκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς, διὰ τὸ  
αὐτὸν γινώσκεν πάντας.
25. Καὶ ὅτι ἔχρειαν εἶχεν, ἵνα πῆς μαρτυρήσῃ περὶ τῶ  
ἀνθρώπου· αὐτὸς γὰρ ἐγινώσκει τί ἡ ἐν τῷ ἀνθρώ-  
πῳ.

18. Responderunt ergo Iudaei, & dixerunt ei: Quod  
signum ostendis nobis, quod ista facias?
19. Respondit Iesus, & dixit eis: Destrucite templum hoc,  
& in tribus diebus erigam illud.
20. Dixerunt ergo Iudaei: Quadraginta & sex annis  
extructum est templum hoc, & tu in tribus die-  
bus eriges illud?
21. At ille dicebat de templo corporis sui.
22. Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt  
discipuli ejus, quòd hoc dixisset eis, & credi-  
derunt Scriptura, & sermone, quem dixerat  
Iesus.
23. Quam autem esset Hierosolymis in Pascha in die  
festo, multi crediderunt in nomen ejus, viden-  
tes signa ejus, quae edebat.
24. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò  
quòd ipse nosset omnes,
25. Nec opus haberet, ut quisquam testaretur de  
homine: Ipse enim sciebat, quid esset in ho-  
mine.

### Periocha hujus historiae.

Post miraculum in Cana editum, (Iesus cum  
matre, cum fratribus) hoc est, cognatis, sicut  
Matth. 13. v. 55. explicabimus, (et cum discipulis  
descendit Capernaum,) quod itinere unius diei  
distat à Cana, Joan. 4. v. 52. Fuit autem Caper-  
naum praecipua civitas, celebre emporium, &  
quasi metropolis Galilaeae. Eò igitur mox post  
editum miraculum Iesus se contulit, ut manife-  
statio gloriae suae & ibi pluribus innotesceret, &  
inde, propter loci celebritatem, & commercio-  
rum frequentiam, latius spargeretur, & quidem  
iturum ipsum Hierosolymas praeviret. Atque  
ideo etiam adduxit secum cognatos & discipu-  
los, qui de miraculo illo, cui interfuerant, testi-  
ficari poterant. Evangelista verò nihil annota-  
vit, quid ibi actum sit: nisi quod addit, (mansisse  
ipsum in Capernaum non multis diebus.) Et ratio-  
nem addit: quòd (in propinquo fuerit Pascha Ju-  
daeorum.) Et publice quidem in synagogis tunc  
nondum docuit in Galilaea: Hierosolymis enim  
in templo debebat hoc initium fieri, Malach. 3.  
v. 1. Et post Baptistae captivitatem primum in Ga-  
lilaea publice docere coepit, Matth. 4. v. 17. Non  
tamen dubium est, quin paucis illis diebus in Ca-  
pernaum privatim multos docuerit, ac multos  
sibi discipulos adjunxerit. Fama enim miraculi  
ex Cana pervenerat Capernaum. Et discipuli  
ac cognati illud apud omnes praedicarunt. Certè  
primo hoc auditu ita sibi animos apud Caper-  
naitas devinxit, ut postea relicta Nazareth du-  
rabilem aliquandiu habitationem apud Caper-  
naitas invenerit.

Ex Capernaum verò ascendit Ierusalem ad fe-  
stum Paschatis, quae historia ideo diligentius  
consideranda est, quia de secundo templo, quod  
Zorobabelis vocatur, à Prophetis praedictum  
hoc fuit, Hagg. 2. v. 8. Veniet desiderium cuncta-  
rum gentium, & implebo domum istam gloria,  
inquit Dominus Zebaoth. Et dignum est ob-  
servatione, quod Lyra annotavit, externam glo-  
riam, quae in primo templo praecipua fuit, toti

secundo templo defuisse. Non enim fuit in illo  
arca foederis, & quae in ea reposita fuerant, Ebr.  
9. v. 4. Non ignis ille, qui coelitus super sacrificia  
delapsus in primo templo aservatus fuerat, unde  
accendebantur sacrificia: Non Urim & Thu-  
mim: Nec gloria Domini ibi ita, sicut in primo  
templo, super arca foederis invocantibus & ora-  
cula sciscitantibus apparuit visibili aliquo signo:  
Seniores etiam, qui prius templum viderant,  
aspicientes, quomodo secundi templi funda-  
menta jacerentur, coeperunt magna voce flere,  
1. Esdr. 3. v. 12. & Hagg. 2. v. 4. Et tamen major  
erit gloria secundae illius domus, quam prioris  
fuerat: quia ego, inquit dominus Zebaoth, im-  
plebo domum istam gloria. Desiderium enim  
omnium gentium, hoc est, Messias, in quem et-  
iam gentes sperabant, ad domum illam veniet.  
Et coepum hoc quidem fuit impleri, quando in  
diebus purificationis puer Iesus in templum in-  
troducebatur, & Domino sistebatur: Item, cum  
anno duodecimo sedens in templo in medio Do-  
ctorum cum magno omnium stupore audieba-  
tur. Sed Malachias cap. 3. v. 1. solennem Messiae  
in officio suo adventum ad templum suum cer-  
ta circumstantia temporis circumscripsit, in-  
quiens: Ecce mitto Angelum meum, & prepara-  
bit viam ante faciem meam: & statim veniet ad  
templum suum dominator, quem vos queritis.  
Debebat ergo Messias juxta Prophetarum vatic-  
inia, postquam praedicatione Baptistae manifestatus,  
& voce Patris Angelus s. Legatus Foederis renun-  
ciatus erat, venire ad repurgandum templum  
suum, atque ibi officium suum pontificiale pu-  
blice ac solenniter incoare. Quomodo verò vati-  
cinium illud impletum sit, haec historia ostendit.  
Baptista enim propter hanc ipsam causam non in  
templo, sed in deserto docuit, ut extaret illustre  
discrimen inter angelum parantem viam in de-  
serto, & inter ipsum dominatorem, qui ad tem-  
plum venturus, & ibi doctrina & miraculis glo-  
riam suam manifestaturus erat.

Hoc

Hoc loco verò cogitandum est de narratione Josephi, qui scribit, Herodem secundum templum Zorobabelis diruisse, & ejus loco magnificentius ac prorsus novum templum ex fundamentis extruxisse. Sed Propheta manifestè vaticinatur, Messiam ad secundum illud templum, quod tunc, tempore Zorobabelis, ædificabatur, debuisse venire, atque illud gloria sua implere. Ita ergò accipienda erit Josephi narratio, ut & Prophetis & Evangelistis sua constet ac salva maneat veritas & auctoritas: Quòd scilicet Herodes quædam secundi templi ædificia amplificavit, & magnificentius exornavit; quædam verò ex fundamentis nova adjunxerit ædificia, ita tamen, ut, quo ad substantiam, fuerit & manserit secundum templum Zorobabelis. Non enim ad tertiam domum Herodis, sed ad secundam domum Zorobabelis Messias debebat venire. Et Rabini Judæorum tantum de prima & secunda domo scribunt: ac templum illud, quod Romani sub Tito destruxerunt, vocant secundam domum Zorobabelis. Hanc judio simplicissimam esse conciliationem narrationis Josephi, cum Prophetarum vaticiniis & Evangelistarum descriptionibus. Et major apud nos debet esse Prophetarum & Evangelistarum, quam Josephi, si quid diversum videtur narrare, auctoritas.

Observetur autem ordo historiarum. Hactenus privatim quidem cum discipulis de doctrina sua collocutus est Jesus, sed publicam concionem nullam legimus ab ipso habitam. Hoc enim in templo, juxta Malachiæ vaticinium, incoari debebat. Primæ igitur publicæ conciones Christi in festo Paschæ Hierosolymis in templo habitæ sunt. Et sicut initium signorum ipsius in proxima historia observavimus. Ita multò magis notatu dignum est, quòd fuerit initium publicæ concionum, quas in ministerio suo Christus habuit. Quòd autem fuerit argumentum illarum concionum Christi, quæ primæ fuerunt, Johannes postea tertio capite in colloquio cum Nicodemo explicat: Sed ordine in historia progrediemur.

Veniens igitur Dominator ad templum suum, primum omnium, etiam priusquam incipiat doctrinam suam proponere, manum admovet ad repurgandum templum à corruptelis doctrinæ & ceremoniarum, sive cultus divini. Quasi depositum enim templi erat, conservatio sanæ doctrinæ & veri cultus Dei, illam à depravationibus ad veram puritatem revocare, aliter non potuit, nisi prius corruptelas & abusus tolleret. Et hæc generalis est de reformatione Ecclesiarum doctrina. Rectius autem tota historia intelligitur, si conferatur ad vaticinium Malachiæ. Ita enim inquit c. 3. v. 3. Quando Dominator veniet ad templum suum, sedebit & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & argentum. Ad dit autem Propheta, repurgationem præcipuè futuram in sacrificiis, quæ & revocaturus sit ad verum finem & abrogationem illorum prænunciaturus. Inquit enim: Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Quia igitur Jesus veniens ad templum, invenit multas superstitiones & varios abusus in iis, quæ ad sacrificia pertinebant, incipit igitur filios Levi purgare. Atque ita

ipso facto ostendit, se esse Dominatorem illum & Legatum Fœderis, qui Malachiæ 3, 1. prædictus fuerat, venturus ad templum suum. Et priusquam in templo incipiat docere, ut attentionem & auctoritatem doctrinæ suæ, quam traditurus erat, conciliet, hoc factum præmittit, ut expergeficiat animos ad considerandum vaticinium Prophetæ, & ostendat, templum esse suum, se esse Dominatorem, cujus officium sit puritatem doctrinæ & cultus divini, explosis corruptelis, restituere, in quo officio Pater ipsum audiendum tam severiter mandavit, Deut. 18. v. 18. Ideò enim vocat domum Patris sui. Non autem dubium est, Pontificibus, Sacerdotibus, Phariseis, & Scribis admodum ingratam fuisse talem templi repurgationem. Fremitus enim ipsorum postea describentur. Et tamen, cum tot ibi adessent mercatores, tot Sacerdotes, & tanta populi, qualis in magnis festis esse solebat, frequentia, cumque in propinquo, in arce Antonia, milites templi adessent, nemo se Christo, cum illud faceret, ausus fuit opponere. Maximum igitur miraculum, imò plus quam prodigium est, quòd unus homo, in summa humilitate & exinanitione, solus, non gladio, nec armis, sed flagello, & illo quidem non loro vitulino, Deut. 25, 2. nec scorpionibus, 3. Reg. 12, 14. sed ex funiculis abjectis ibi & jacentibus, quibus mercatores oves & boves eò adduxerant, (ineptum enim est, quòd fingunt, Christum, ut Franciscanum, duplici fune præcinctum, incessisse,) simpliciter contexto, omnes expellit, mensas subvertit, & pecunias effundit. Et cum omnes fremant, nemo tamen audet se ei opponere, nullus ex omnibus negociatoribus audet ibi remanere: sed omnes cedunt & fugiunt. Imò columbarum venditores non expulsi, sed jussi merces suas efferre, mox parent. Simul tamen cogitandum est: quòd intellexerunt, ipsum hoc facere nec privata temeritate, nec ut hominem furiosum, sed ut Messiam. Divulgata enim jam erant, quæ apud Jordanem in Baptismo Christi & postea facta fuerant. Fama etiam miraculi in Cana editi prævenerat ipsum Hierosolymas. Ac Christus ipse inter ejiciendum hoc explicavit, quòd, ut filius Dei, auctoritate & potentia Messia debita, hoc faciat: cum vocat domum Patris sui. Non igitur muta fuit hæc ejectione, sed causam & rationem Christus explicavit. Ideò postea non quærunt, qua auctoritate illud faciat: sed ut signo ostendat, quòd Messia auctoritate illud faciat. Hoc bene notetur.

Quidam opinantur, igneum & sidereum aliquid ex oculis Jesu radiasse, & Sacerdotes ac reliquos, cum viderent divinam majestatem in facie ipsius relucens, ita territos, ne se opponerent: sicut Moisis facies apparuit gloriosa & terribilis, Exod. 34. v. 29. Sed quia Scriptura talis gloriæ hoc loco non meminit, sed in transfiguratione hoc quasi peculiare de facie Christi describit, rectius igitur & simplicius sentiemus, Christum in summa exinanitione (quo ad externam speciem) hoc fecisse. Et eò majus est miraculum, quòd nemo ausus fuit ipsi resistere. Hieronymus in Matthæum de secunda ejectione ita inquit: Multi arbitrantur, maxima esse signorum, quòd

quod Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex utero, lumen accepit, quod transfiguratus in monte gloriam ostendit triumphantis: mihi autem inter omnia signa, quæ fecit Dominus, hoc videtur esse mirabilis, quod unus homo, & illo tempore contentibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis & Phariseis contra se faventibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam eicere multitudinem, mensasque evertere, & confringere Cathedras, & talia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Hæc Hieronymus. Et ipsi Judæi videntur, tale aliquid, sicut ex vaticinio Malachia diximus, aliquo modo colluxisse & cogitasse. Querunt enim, quo signo comprobet, se habere potestatem talia faciendi? Hæc est simplicissima explicatio, quod Jesus, priusquam publicè in templo ministerium suum incoarit, voluerit hoc factum, quod per ultimum Prophetam prædictum fuerat, ostendere, se esse Dominatorem illum, cuius officium sit, doctrinam & ceremonias templi sui à corruptelis repurgare, & ad veram puritatem restituere. Et forsitan ideò usus fuit flagello. Commentator enim Aristophanis inquit: τὸ παλαιὸν Φαρισαῖοις ἐτυπτον οἱ λογισταὶ τὰς τῆς ἀγορᾶς. Simul etiam ostendit, finem jam instare brutis Levitarum sacrificiis, ac adesse jam veram victimam. Doctrina autem generalis est: non rectè posse tradi sanam doctrinam, nec cum fructu verum cultum Dei posse institui, nisi simul corruptela, abusus, & superstitiones taxentur, refutentur, & è medio (legitimè tamen & ordine) tollantur. Atque ideò Christus non semel, sed ter, negotiationem istam ex templo ejecit, in principio scilicet ministerii sui, & circa finem, ipso die palmarum, & postridie. Ac notetur differentia. Nunc in principio tantum vendentes eiecit; postea simul & vendentes & ementes. Hic tantum de dolo negotiationis: postea de spe lunca latronum dicit. Primò enim adhibenda est mitior castigatio, ut discerni possint dociles & sanabiles: sed quando lenitate nihil proficitur, erga contumaces & præfractos asperiori ratione utendum est. Ubi tamen considerandum est, Jesum hoc loco ut Messiam manum etiam admovisse, & vim corporalem adhibuisse: Ministris verò Christi non vis corporalis, sed verbum doctrinæ, admonitionis, & correptionis, mandatum est. Et hic est gladius Spiritus, Ephes. 6. vers. 17.

Porro observandum est, quæ fuerit origo illius consuetudinis, quod oves, boves, & columbæ venales circa templum prostabant: & quomodo postea accesserint abusus & superstitio. Deut. 14. v. 24. Moses de decimis, primogenitis, & spontaneis oblationibus inquit: si remotior fuerit locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, nec poteris ad eum hæc cuncta portare, vendas omnia, & in precium rediges, portabisque manu tua ad locum, quem elegerit Dominus, & emes ex illa pecunia, quicquid tibi placuerit, &c. Cum igitur Judæi inter gentes per totum fermè terrarum orbem dispersi essent, ne opus esset, quando Hierosolymas venirent, discurrere, & sollicitè inquirere animalia ad sacrificia idonea, constitutum erat, ut circa templum venalia es-

sent illa animalia, quorum in sacrificiis usus erat. Et quia Ratio habenda erat, ne quid vitii esset in illis animalibus, publico Sacerdotum iudicio antea probata erant, & hoc nomine vendebantur, quæ ibi venalia prostabant. Animalia autem quæ offerrebantur, hæc erant: vitulus, vacca, bos, hircus, hædus, agnus, aries, columba, turtur. Johannes verò tribus generibus hæc omnia complectitur. Nominat enim boves, oves, & columbas. Quia verò præterea in diversis ex quibus ventitabant regionibus, non eadem erat moneta, voluerunt & huic difficultati, quæ obijci poterat, subvenire per nummularios. Evangelista enim modò κολληβίταις, δὲ πο κολληβίταις, quod Pollux interpretatur ἀργύριον ἀλλαγῆς, argenti permutationem. Aristophanis interpret dicit, esse εἰδὸς εὐτελεῖς νομισματος, collybum esse speciem levis monetæ. Inde pecuniam illorum Evangelista vocat, κέρμα, hoc est, minutias aris: κερματίζειν enim Aristophani significat, τὸ καταλλαττεῖν νομισμα, permutare monetam: significat enim κερματίζειν in minuta frusta comminere. Intellegitur itaque talis commutatio, quando majores nummi pro minutulis commutantur. Suidas citat hoc exemplum: Hospes proculit ex zona aureos Daricos, volens κατακερματίζειν, & perfolvere hospiti. In mensa verò fiebat illa commutatio. Christus igitur, sicut Johannes inquit, mensas subvertit: minutias aris sive ex sacculis, sive quæ in mensa expositæ erant, effudit; ipsos collybistas ex templo expulit: boves & oves ex templo abegit: columbarum verò venditoribus inquit, ut ipsi merces suas auferrent. Sed postea die Palmarum ipse cathedras columbinas subvertit. Hæc est explicatio vocabulorum.

Quæstio autem est: quare Christus tantoperè contra has negotiationes, quæ per se suo genere non sunt vitiosæ, & ex bono, sicut dictum est, principio ortæ fuerunt, exardescat? Id verò verba Christi indicant: (Nolite facere domum patris mei domum emporii.) Syrus habet aliud græcum vocabulum, ἀγορᾶς: significans, ex templo non faciendum forum: Johannes vocat (domum ἐμπορίου,) negotiationis, mercatus, quæstus. Et quia non simpliciter dicit domum Patris nostri, sed Patris mei: ostendit igitur, se esse filium Dei unigenitum, ac propterea repurgationem templi ad se pertinere. Vocat autem templum (domum Dei:) quia Deus promiserat, se ibi habitare velle, exaudire, præsentiam & virtutem suam exerendo: & quia ibi tanquam in sacrario verbum suum deposuerat, ex cuius doctrina agnosceretur, invocaretur, & ceremoniis ad spirituale usum relatis, coleretur. Sacerdotes verò, propter nundinationes illas, officium docendi verbum Dei partim intermiserant, (atrium enim destinatum instituendo populo, occupatum erat illis nundinationibus, & majorem iudicabatur cultum Deo præstare, qui victimas emebat, quàm qui verbum Dei audiret, partim ex pravis illarum emtionum opinionibus, vera sententia verbi Dei & verus usus sacrificiorum depravabatur. Antea enim sine dubio extra templum emporium tale fuit, Deut. 14. vers. 24. postea verò translatum est in ipsum atrium,

vel

vel porticum templi, ut ratione loci victima, quæ ibi emebantur, sanctiores & Deo acceptiores judicarentur. Templi enim nomine hoc loco non illa pars, in quam Sacerdotes soli ingrediebantur, sed atria & porticus templi, in quibus populus docebatur, & orabat, intelligi debent. Ita, extincta doctrina de fide in futurum Mediatorem, quæ communefactione sacrificiorum exercenda erat, usus sacrificiorum in opinionem operis operati degeneraverat, ut propter putativam illam victimarum sanctitatem existimarent, se absque pœnitentia & fide Deo placere, sicut in sceleribus perseverarent. Ideo enim postea templum vocat speluncam latronum, sicut suo loco dicemus. Præterea nundinatio illa instituta erat lucri & quæstus gratia. Propter illam enim, quæ affingebatur, opinionem, plures ad emendas ibi victimas pelliciebantur: & aucupium erat, ut carius ibi emerentur, quàm in aliis profanis locis. Ideo Christus vocat (*domum emporii*.) Horribiles igitur fuerunt corruptela & prophanationes, ut non immerito zelus filii Dei tantoperè excanduerit.

Discipulis verò primò res mira visa fuit, quòd Christus non doctrina tantum & voce, sed quasi violenta manu, & sicut videbatur, turbulenter, expulsi flagello bobus & ovibus, & ipsis venditoribus ejectis, everfis mensis & effusis nummis, templum à corruptelis repurgare incipiebat. (*Sed recordari sunt,*) sive in ipso facto, sive postea, cum plenità Christo residerent, sive post resurrectionem Christi, (sicut Johannes ipse de alia sententia dicit) inter cætera, quæ de Messia scripta erant, etiam hoc extare: (*Zelus domus tue comedit me.*) Atque inde ratione facti, quo reliqui offendebantur, intellexerunt. Significat autem (*zelus*) ardentiorum affectum, & quasi æstum animi inde conceptum, quando quis videt personam seu rem caram contemni, prophanari, contaminari, vel lædi, & quia hoc negligere vel ferre non potest, ad depellendas injurias ferventiori impetu fertur. Prædixit igitur David, Messiam domum patris sui, quæ propter pædagogiam ad promissionem de semine extracta erat, inventurum ita contaminatam in doctrina, & in ceremoniis ita prophanatam, ut justo zelo non moveatur tantum, sed ita corripatur, ut quasi extra se positus cum impetu feratur ad repurgationem. Et vocat (*zelum exedentem,*) qui tanquam ignis inter præcordia conclusus urit, torquet, & consumit animum, molestè & indignè ferentem prophanationem illam domus Dei. Ideo autem Evangelista allegat illud de zelo comedente, ut defendat hoc Christi factum, quod aliàs videri posset sine ratione turbulenter, & quasi seditiosè commissum. Zelus igitur comedens hoc loco significat peculiare & extraordinarios quasi heroicos Spiritus sancti impetus, qualis est Elia, 3. Reg. 18. v. 40. & 4. Reg. 1, 10. & Petri, Actor. 5. v. 3. Non enim simpliciter politica potestas aut vis corporalis intelligenda est: sed sicut Petrus voce occidit Ananiam. Interponit præterea & ideò Evangelista illam Scripturæ sententiam, ne quis ex *κακοζήλια* hoc factum Christi temerè imitetur. Decuit enim hoc illam personam, quæ est Deus & homo: Et Pro-

pheta, Malachias & David, hoc de officio Messia prædixerunt. Nobis igitur, qui hoc mandatum non habemus, imitatio non est proposita: voce doctrinæ, admonitionis, & correptionis jubemur ea, quæ falsa sunt, refutare. Et quando operâ pii Magistratus aut Ecclesiæ ipso facto tolluntur ea, quæ ad prophanationes prostant, rectè hoc fit exemplo Ezechia & Jolia, sed privata & tumultuaria temeritate tale quid conari, mandatum nobis non est. Quæ verò in genere sit vera ratio imitationis, supra expositum est.

Observetur autem, quòd, sicut Psal. 69. v. 10. hæc duo conjuncta sunt: Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me: ita in historia hac sequitur disceptatio Judæorum cum Christo propter factum illud. (*Judæi*) enim, inquit Evangelista, hoc est, non pauci aliqui, nec primores tantum, sed totus Judæorum populus commotus (*respondit, & dixit.*) Et Ebraica Phrasis est, quando conjunguntur duo hæc verba: *ענה* & *אמר* respondere & dicere, etiam quando nulla præcessit interrogatio. Et significat vel repetita inculcatione apertè & cum asseveratione, & non obiter, sed ardentè ferri aliquid dicere. Significat enim *ענה* re bene considerata aliquid proloqui & testari, ut Genes. 18. v. 27. respondit Abraham & dixit: Ecce cœpi loqui, cum sim pulvis, &c. Et 1. Reg. 4. v. 17. nuncius respondit & dixit: Fugit, Israel. Quæ significatio & ad hunc locum potest accommodari. Vel significat voces multitudinis alternatim & tumultuariè responentium, ut Exod. 32. v. 18. Et hæc significatio huic loco in magna populi frequentia & indignatione non malè convenit. Vel significat, quando non ad interrogationem, sed ad factum aliquid, vel ad cogitationes & suspensiones alicujus, id, quod dicitur, accommodatur, ut Luc. 14. v. 3. Et hæc significatio simplicissimè huic loco convenit. Aliquando idem est, quando Scriptura inquit: Locutus est dicens, pro dixit, vel cœpit dicere. Judæi igitur ad factum illud Christi tumultuariè clamantes (*dixerunt: Quod signum ostendis nobis, uti ταύτα ποιεῖς;*) Particulam *ὅτι* quidam hoc loco in hanc sententiam explicant: (*Quoniam hæc facis,*) quæ soli Messia, filio Dei conveniant: quod igitur signum nobis ostendis, te esse Messiam? Alii simplicius in hanc sententiam explicant: (*quod signum*) ostendis nobis, quo probes scilicet, te illa non temerè facere, sed divinitus commissam tibi esse potestatem repurgandi templum, & quidem tali modo? Sensus enim disceptationis Judæorum hic est: Ardua sunt, quæ in templo tentas; quòd si propria & privata auctoritate hæc facis, magna & non toleranda est temeritas: si divina, ostendas signum, sicut Moses fecit, Exod. 4. v. 1. ut credamus tibi. Et manifestum est ex his Judæorum verbis, ipsos hoc Christi facto ita percussos fuisse, ut cogitarent de illis, quæ Propheta prædixerant, quid Messias, quando venturus esset, in officio suo in templo facturus esset. Sed quia Moses vocationem suam multis signis comprobavit, & de Propheta post se suscitando Deut. 18. versiculo 22. expressè addit notionem de signis; reliqui etiam Propheta,

ut

ut Isa. cap. 35. v. 5. prædixerant, Messiam editurum signa, quibus comprobaret, se habere divinam potestatem talia faciendi: petunt igitur signum à Christo. Sed quare Christus ad talem petitionem nullum edidit signum, cum ipse postea multa ultrò ediderit, & quidem cum verus sic potuisset esse miraculorum usus? In turba enim multi sanabiles & dociles fuerunt. Difficilis sanè esset responsio, cum circumstantiæ non extant plenius descriptæ, nisi Johannes postea diceret: (*Ipse sciebat, quid esset in homine.*) Propter illos igitur, qui sanabiles & dociles erant, in ipso festo postea multa edidit signa, sicut Evangelista restatur: sed quia videbat, illos, qui nomine multitudinis signum petebant, non habere animum discendi, sed captare tantum occasionem calumniandi & tergiversandi: idem igitur respondet, quod Matth. 12. v. 40. in quo loco circumstantiæ, quare petentibus noluerit signum dare, diligentius descriptæ sunt. Et inde potest peti vera hujus loci explicatio. Ita ergo tunc petentibus signum nullum, quale ipsi petebant, voluit ostendere. Virtutem enim miraculorum non voluit vel ad ostentationem, vel obstinatorum ludibriis, ubi nulla spes profectus esset, profiteri. Aliud verò signum, quàm ipsi petebant, proponit. Cum enim eximium quoddam è caelo signum peterent, Matth. 12. v. 38. opponit ipsis signum mortis & resurrectionis suæ. Et observetur, quare hoc signum proponat, probaturus, se esse Messiam. Proprium enim Messias officium hoc est, propter peccata populi vulnerari, Isa. 53. v. 5. ac prædictum erat, fore, ut Messias occideretur, Dan. 9. v. 26. & per resurrectionem ex mortuis declaratus est, esse filius Dei, Rom. 1. v. 4. ac Deus ipsum suscitatum & exaltatum fecit Dominum & Christum, Actor. 2. v. 36. Non igitur peregrina, sed maximè apta & accommodata est hæc responsio Christi, quòd petentibus signum, quo probet, se esse Messiam, proponit miraculum mortis & resurrectionis suæ. Non enim vulgaris mors & resurrectio fuit: sed inter omnia miracula maximum & summum fuit. Quòd verò petentibus signum è caelo mortem & resurrectionem suam proponit, eo ipso in genere monet, inter omnia miracula Dei præcipuum & maximum hoc esse, quòd in Ecclesia virtus Dei in infirmitate perficitur, 2. Corinth. 12. v. 9. hoc est, quòd potentia Dei non absolute & aperte, sed sub involucris infirmitatis in Ecclesia res maximas operatur. Hanc esse sententiam, circumstantiæ ostendunt. Ipsum enim hoc factum ejectionis per se erat magnum miraculum, in quo elucebat manifesta Dei potentia, sicut supra declaratum est: sed quia illa infirma exinanitionis specie testata erat, Judæi offendebantur, & petebant aliud illustrius signum. Christus igitur opponit futurum aliud simile signum, mortis & resurrectionis suæ, se ex infirmitate scilicet moriturum, 2. Cor. 12. 9. & sub illa infirmitate se id, quod omnium maximum est, effecturum, ut scilicet damnato peccato, devicto diabolo, absorpta morte, & destructo inferno, justitia sempiterna adducatur, vita restituatur, & cælum aperiatur. Unde hæc axiomata rectè extruimus: virtutem Dei tunc maximè esse illustrem, quan-

do sub involucris infirmitatis res maximas in Ecclesia perficit. Item, agnitionem potentia & miraculorum Dei præcipuè investigandam & considerandam esse in illis infirmitatis involucris. Ita maximum nunc est miraculum, quòd in medio inimicorum, fremtentibus ipsis inferorum portis, & in tanta credentium infirmitate, filius Dei tamen Ecclesiam sibi colligit, gubernat, & conservat. Et hoc miraculum rectè possumus opponere illis, qui nunc etiam signa à nobis flagitant.

Hanc autem sententiam Christus involvit obscuriori parabola sive allegoria, de solvendo & excitando templo. Utrumque enim vocabulum & *λύειν* & *ἐγείρειν* potest & ad materialis templi destructionem, ac alterius extruccionem, & mortem ac resurrectionem corporis Christi accommodari. Et licet loquatur de templo corporis sui, sicut Evangelista explicat: voluit tamen ipsis quasi sub ænigmate obscurius illud proponere, propter causam, quæ Matth. 13. v. 13. exponitur: Illis, qui extra sunt, proponitur in parabolis, ut videntes non videant, &c. Neque enim credituri fuissent, etiamsi apertissimè hoc exposuisset. Nam ne postea quidem, quando signum illud exhibitum fuit in morte & resurrectione Christi, crediderunt. Et tamen gravis est causa, quòd sumpta occasione à templo, in quo tunc versabatur, corpus suum templum vocat, & potissima hæc est: Judæi semper opponebant doctrinæ Christi & Apostolorum auctoritatem sui templi, & eorum, quæ ad templum pertinebant: Christus igitur incipit, licet obscurius, ostendere, id quod Epistola ad Hebræos clarius & plenius explicat, templum tantum fuisse figuram & umbram, quæ aliud significarit, personam scilicet & totum officium Mediatoris Christi. Præsentia enim, & manifestatio divinitatis in templo Judæico, rectè refertur ad plenitudinem divinitatis inhabitantis in Christo corporaliter, Coloss. 2. v. 9. Reliqua in templo officium Mediatoris adumbrant. Tectè igitur ostendit, umbram veniente corpore cessaturam: & impletionem figurarum templi in filio Dei incarnato jam adesse, & prædicari. Quod autem dicit: (*Solvite hoc templum.*) non jubentis est aut adhortantis ad cædem, sed partim prædicantis, partim permittentis. sicut Judæi dicit: quod facis, fac citius.

Judæi verò statim, quasi nacti, quam quæserant, calumniandi occasionem, exclamant: (*Quadragesima sex annis ædificatum est templum hoc, &c.*) Et illam calumniam post triennium etiam in historia passionis repetunt. Mat. 27. 40. Quia verò Eisd. 5. 2. & 6. v. 15. templum Zorobabelis intra sexennium absolvitur, ita ut facta dedicatione sacrificia offerrentur, varia disputant Interpretes de numero quadragesima sex annorum. Augustinus allegorizat ad tempus formationis corporis humani in utero materno. Origenes refert ad templum Salomonis, quod septem quidem annis consummatum fuit: sed ab illo tempore, quando David primò cœpit consilia de ædificatione agitare, fermè 46. anni computari possint. Sed manifestum est, Judæos loqui de templo Zorobabelis. Quidam dicunt, Judæos invidia conciliandæ gratiæ numerum exaggerasse, additis qua-

quadraginta annis. Alii censent, in illa summa comprehendi etiam illos annos, quando aliquid postea ad amplificandum & exornandum templum ab aliis adjectum fuit: ut Herodes edificavit per octo annos. Turris etiam, quae vocatur Antonia, per aliquot annos aedificata fuit, & ita de aliis accessionibus templi: ut tota summa sit quadraginta sex annorum. Sunt, qui dicunt, dedicationem quidem templi factam sexto anno Darii, 1. Esdr. 6. v. 16. non quod planè absoluta tunc fuerit aedificatio, sed cum eo usque esset aedificando perventum, ut quoque modo sacrificia possent offerre, ante consummationem aedificationis factam dedicationem: Post dedicationem verò inter varia impedimenta reliquam aedificationem vix quadraginta annis absolutam. Ita enim colliguntur anni quadraginta sex. Sed ex Scripturis ostendi non potest, tot annis post dedicationem templum aedificatum fuisse. Simplicissima igitur explicatio hæc est: quod à jactis primis templi Zorobabelici fundamentis usque ad ejus consummationem & dedicationem 46. anni intercesserint. Jacta autem sunt fundamenta primo anno Cyri, 1. Esdr. 6. v. 3. Et aedificatio impedita fuit usque ad secundum annum Darii, cujus sexto anno aedificatio fuit completa. Regnavit autem Cyrus annis 30. Cambyfes annis 8. quibus si addantur anni Darii 6. exurgit ferme summa illa 46. annorum. Et congruit hoc cum supputatione Danielis, qui 7. hebdomadas, hoc est, 49. annos tribuit aedificationi Templi & Urbis. Ad hanc Judæorum objectionem Christus nihil respondet, quo involverum sermonis explicaret. Nam ne postea quidem mentionem mortis ejus ferre, aut mysterium resurrectionis credere voluerunt. Hæsit tamen dictum illud, etiam non intellectum in multorum animis. Nam postea coram Caipha, tanquam capitale crimen ipsi hoc dictum objicitur.

Addit autem Evangelista, ne discipulos quidem satis intellexisse figuratam hanc locutionem, sed post resurrectionem, docente Spiritu, recordatos esse. Egregius hic locus est, in Scriptura seu verbo Dei non statim spernenda, aut abjicienda, si quæ primo intuitu assequi non possumus. Nec ideo desperandum, quando non statim penetrare possumus ad recondita mysteria Scripturæ. Certis enim gradibus Spiritus nos ad agnitionem ducit. Quando igitur non statim possumus intelligere rationes omnium operum Dei, non ideo verbum abjiciamus: suo enim tempore verbum, si tanquam semen animo recondatur, fructum profert. Sicut discipuli hoc loco sermonem Christi, quem non satis assequabantur, in corde conservabant admirabundi, cogitantes quid futurum esset. Et sicut de vaticiniis Scripturæ Irenæus inquit: Tunc demum rectè illa intelligi, quando impleta sunt: Idem Evangelista de hoc etiam dicto Christi inquit. Et in genere quando sub cruce sumus, promissiones Dei videntur nobis tanquam ænigmata, quæ tamen ideo non sunt abjiciendæ, sed memori mente servandæ: quando enim tolerabilis tandem sequetur eventus, tum rectè promissiones intelligemus, modo faciamus, sicut de discipulis Evan-

gelista inquit: (*Tunc recordati sunt, quod hæc dixisset eis.*) Apparet autem aliquam declarationem à Christo additam fuisse. Testes enim in historia Passionis recitant distinctionem de templo manu factò, & non manu factò, quam verisimile est ipsos ex Christo audivisse. Epistola certè ad Ebræos hanc distinctionem egregiè explicat. Observetur autem phrasis illa, (*Dicebat de templo corporis sui:*) hoc est, non de templo aliquo, in quo corpus ipsius habitaret, sed de templo, quod corpus suum volebat intelligi: sive de corpore suo, quod Metaphoricè templum vocat. Peculiarem etiam observationem præbet, quod Evangelista inquit: (*Tunc crediderunt Scripturæ, & verbo Christi.*) Artissima est copula verbi Dei & Scripturæ. Et Spiritus monstravit discipulis, sermonem illum Christi habere fundamenta in Scriptura. Crediderunt igitur Scripturæ & verbo Christi: hoc est, intellexerunt Scripturam & sermonem illum Christi in morte & resurrectione ejus impleta. Fides enim per eventum confirmatur. Et antea sanè non negarunt Scripturam, nec diffisi fuerunt verbo Christi: sed tunc verè dicuntur credere, quando docente Spiritu ea rectè intelligunt.

Hanc historiam ejectionis, arbitror, factam esse non in primo die festi, qui sanctissimus erat. In illo enim non licuisset onera collybitarum, & eorum, qui columbas vendebant, portare: diebus ergo intermediis facta hæc fuerunt.

Inter acta igitur primi festi Paschatis præcipuum hoc fuit, quod Evangelista de purgatione templi descripsit. Reliquas verò historias illius festi breviter perstringit; quæ tamen oscitanter prætereundæ non sunt, quia sunt illius temporis, quando dominator primò ad templum suum venit. Colligi autem ex brevi illa Evangelistæ descriptione possunt hæc capita eorum, quæ præterea in festo illo Paschatis acta sunt: 1. (*Multi crediderunt, inquit, in nomen ipsius.*) Christus ergo in primo Paschate prædicavit de persona & officio suo: hoc enim nomen Christi significat. Summa verò illarum concionum in colloquio cum Nicodemo postea repetitur & describitur, 2. Dicit, Jesum multa ibi edidisse signa in festo, quibus illi, qui viderunt, ad fidem adducti fuerunt. Qualia verò fuerint illa signa, Evangelista non descripsit. 3. Dicit, Jesum in festo illo aliquam sibi Hierosolymis collegisse Ecclesiam, inquit: Multi in illo festo, doctrina & miraculis Christi permoti, crediderunt ea, quæ de nomine, hoc est, de persona & officio suo prædicabat, vera esse. 4. Addit Evangelista, fidem illorum talem fuisse, quòd Jesus non volebat seipsum illis credere. De sententia non est dubium, Evangelistam hoc velle dicere, fidem illorum non fuisse veram, vivam, solidam, stabilem & sinceram. De phrasi verò disputatur: Augustinus allegoricè interpretatur de Catechumenis credentibus quidem, sed quibus Eucharistia corporis Christi nondum datur: Chrysostomus & Cyrillus ita exponunt, quòd recondita mysteria suæ doctrinæ noluerit ipsis credere. Sed ex phrasi omnium rectissime vera sententia colligitur. Quidam volunt, esse Ebraicum, in quo usitata est Paronomasia, inter acti-



vum verbum Credere, tertiæ Conjugationis, ΠΙΣΤΕΥΩ, & inter passivum primæ Conjugationis, ΠΙΣΤΕΥΩ, Isa. 7. v. 9. Si non creditis, non credemini: seu, non credetur vobis, 2. Paral. 20. v. 20. Credite Domino, & credemini, seu fideles reperiemini, hoc est, firmi & stabiles eritis, Psal. 78. v. 37. Non creditus seu fidelis repertus fuit cum Deo Spiritus ejus. Et hanc mutuam relationem inter credentes, & Deum, cui creditur, existimant, Evangelistam, Paronomasia illa verbi Credere, voluisse exprimere, cum inquit: (*Jesus non credidit illis, qui in nomen ejus credebant.*) hoc est, non cognovit ipsos pro verè credentibus, non fuerunt firmi & stabiles in fide. Atque hæc explicatio locum haberet, si scriptum esset, Non credebatur illis: sed quia additur, (*Non credebatur se ipsum illis.*) Alia igitur phrasia est in communi lingua Græca usitata. Verbum enim ΠΙΣΤΕΥΩ, cum Accusativo & Dativo significat aliquid committere & concedere alicui. Et ita phrasia illa usurpatur de familiari conversatione & secura fiducia in amicitia. Sirach 6. v. 7. Non statim credas te amico: simpliciter ergo ita explicatur, (*Non credidit se illis.*) hoc est, non fuit publico multitudinis applausui & blandis ac magnificis verbis confusus, ut frequens, diu & familiariter, cum illis conversaretur, non adjunxit sibi illos, sicut reliquos discipulos. Quia enim sciebat, quid in homine esset, se ipsum & vitam suam noluit illis, qui de fide sua jactabant, inter ipsos diu conversando, concedere. Cajetanus ita exponit: propter multitudinem credentium, Jesum noluisse, reliquis Judæis Hierosolymitanis odio & invidia ipsius ardentibus, confidere, aut vitam suam, diu apud ipsos conversando, illis committere, cum hora patiendi nondum venisset. Ostendit igitur Evangelista illis verbis, aliquid tunc periculi Christum sibi à Judæis imminere vidisse, propter quod non diu post festum ibi manserit. Et licet ipso facto nondum hostiliter aliquid tentassent contra ipsum, nec aliquid de insidiis ad ipsum delatum esset: tamen non credebatur se ipsis, (*Sciebat enim, quid in homine esset.*) quid scilicet odii & malevolentia Pharisei jam concepissent, & intra se occultè alerent. Ita historia plana erit, si illud, non credebatur se illis, accipitur, non de credentibus, sed de reliquis Judæis. Si verò de ipsis credentibus accipitur, insignis erit locus, de inconstanti mutabilitate voluntatū humanarum, de stabili fide, & de fide temporaria. Expendeda igitur est descriptio Evangelista: Non enim frustra inter prima ministerii Christi rudimenta hic locus ponitur. Non autem dicit, ipsos foris simulasse fidem, & aliud in animo scientes occultasse: sed inquit: Crediderunt in nomen ejus, miraculis permoti. Cum externa ergo professione conjuncta fuit interior etiam assensio: & tamen non fuit viva & solida fides. Consideretur itaque, quid vitii aut defectus habuerit istorum fides, ut nos ipsos explorare discamus, 2. Cor. 13. v. 5. an simus in vera fide: utque initia fidei non extinguamus, sed excolamus, & petamus augeri. Novitate igitur & admiratione primorum miraculorum, quæ in festo videbant à Christo edi, cum per valde multos annos nul-

lum verum signum in populo Israël visum esset, mens ipsorum abrepta & convicta, in illam generalem pervasione[m] sive assensionem inclinavit, veram esse doctrinam Christi. Foras & hoc receperunt, ipsum esse Messiam: hoc enim est nomen ipsius, in quod dicuntur credidisse. Sed præcipua membra, quæ ad veram fidem requiruntur, in generali ista assensione desiderantur: 1. Tantum ex admiratione miraculorum pendet, de fundamentis & certitudine doctrinæ nihil solliciti: Fides verò, nisi in verbo radices agat, non est stabilis. 2. Generali pervasione contenti, non inquirunt, nec discunt, quæ sunt præcipua capita doctrinæ Christi: De persona ejus: Quod officium; Quæ beneficia ipsius; 3. Nulli in voluntate & corde veri motus sequuntur: ut desideretur, quærat, & speciali applicatione apprehendatur illud, quod in doctrina Evangelii offertur. 4. Videntur magis ex curiositate & novitatis affectatione, quam serio pietatis affectu, doctrinam Christi amplexi. 5. Juxta vulgarem tunc Phariseorum pervasione[m] corporales commoditates, & externam magnificentiam à Christo sperarunt, & in doctrina ipsius quasi verunt. Ex his facile potest colligi, quæ sit differentia inter generalem assensionem, & inter veram fidem: quid vitii temporaria fides habeat in mente, quid in voluntate. Discat igitur quisque seipsum probare, ne generali illa pervasione se decipiat. Multi enim tales sunt, qui convicti non audent manifesta veritati repugnare: sed generali assensione Evangelium amplectuntur. Sicut Agrippa, Actor 26. v. 27. dicit, se credere Prophetis: sed hoc durat tantisper, dum religio sine cruce floret, & quamdiu cupiditatibus ipsorum non adversatur: sed illi levi occasione fiunt *κατανοήσαντες*, sive æstu, sive spinis, juxta parabolam, Matth. 13. v. 20.

Addenda verò est & hæc doctrina: Hisce tam infirmis initiis etiam veram fidem incoari, dummodò suos habeat progressus, ita ut excolatur & augeatur: sicut discipuli Christi, Joh. 1. v. 50. generali hac assensione credunt, sed hæc initia fidei excoluntur & augentur, cum Joh. 2. v. 11. iterum scribuntur credere. Judæi verò, de quibus in hac historia Johannes loquitur, generalia illa initia fidei postea non excolunt: suffocantur igitur & extinguuntur. Hæc doctrina inter initia ministerii Christi diligenter descripta est: Non omnes, qui eandem fidem profitentur, verè credere. Est enim quædam instabilis, quædam temporaria fides: & quia ex iisdem ferme initiis, ex generali scilicet assensione, utraque progreditur, utilis est commonefactio, ut quisque seipsum probet. Simul etiam hoc observandum est, quod hæc ipsa historia accuratè distinguit temporariam & vanam fidem, à fide infirma. Discipuli enim post resurrectionem Domini demum intelligunt reconditoria mysteria verborum Christi in hoc loco. Infirma igitur fuit ipsorum fides: sed tamen vera fides fuit. Hoc ideo observandum est, ne illi, qui infirmi sunt in fide, desperent, quasi vana & falsa sit ipsorum fides. Utraque igitur descriptio in hac historia observanda est: infirmæ fidei in discipulis, & vanæ seu temporariæ fidei in Judæis. Imò, quod diligenter obser-

observandum est: unus ex hisce credentibus, quibus Christus seipsum non credebatur, fuit Nicodemus: cui fides, quomodo progressa sit, & postea pulcherrimos fructus ediderit, in sequentibus explicabitur.

Addit autem Joannes, (*Ipse nōrat omnes, sciebat enim, quid esset in homine.*) Et ostenditur vera in Christo humanitas, eō quod seipsum non credebatur Judæis: vera autem divinitas in ipso ostenditur, quod sciebat, quid in homine esset. Est autem hoc loco Epiphonema, de occultis latebris & sinuosis recessibus cordis humani, ita ut hypocrisis non alios tantum fallat, verum etiam seipsam decipiat. Judæi enim isti nequaquam cogitarunt, se temporarios esse in fide, sed solus Christus, tanquam Deus, scit, inquit Evangelista, quid in homine sit. Sicut Augustinus recte dicit, Petrum ipsum ignorasse, quid in corde suo esset, Matth. 26. v. 35. Et quidem in extremo die multi vana persuasionem fidei non veræ accedent, Matth. 7. v. 22. Christus igitur, ut Deus, videt & novit corruptionem & perversitatem cordis humani, quam leviter, quam facile, quam citò à fide deficere possint, qui credunt, si sibi ipsis relinquuntur. Hæc verò doctrina non eō pertinet, ut in perpetuas dubitationes conjiciamur, sed ne quis excusso timore Domini, seposita humilitate, securus torpescat, vel superbe sibi blandiatur, quando principia aliqua fidei & pietatis habet: sed ut oratione, & continuis pœnitentiæ & fidei exercitiis eō ardentius gratiæ Dei & auxilio Spiritus sancti inhæreamus, utque probare

discamus, quæ fides etiam in summa infirmitate vera sit, & quæ sit instabilis, & temporaria. Quia igitur fides agit cum Deo, qui scit, quid in homine sit, non accedamus ipsum levi & evanida fidei umbra, sed probemus nos, an sumus in vera fide, 2. Corinth. 13. v. 5. Dulcissima enim est mutua illa relatio, quam Evangelista hac phrasi describit. Nos fide credimus Deo salutem corporis & animæ: & Deus vicissim nobis se credit totum, cum omnibus suis cœlestibus bonis.

In historia igitur primi Paschatis, quando Jesus ut dominator primò venit ad templum suum, multi loci continentur:

1. De Scriptura, eo enim planè modo venit ad templum suum, sicut Propheta prædixerat: item, Crediderunt Scripturæ, & sermoni, quem dixerat Jesus.
2. Doctrina de signis & miraculis.
3. Quæ ratione puritas doctrinæ & cultus divini restituatur.
4. Quia doctrina Evangelii & beneficia Messis fide accipienda sunt, locus de fide tractatur, non in Theoria saltem, sed ut quisque se ipsum probet.
5. Notetur & hæc descriptio, qualem successum habuerit doctrina Christi, quando primum in templo docuit. Quidam fremunt; Quidam calumniantur; Quidam signa petunt; Alii credunt, sed fides non est vera. In discipulis verò tanta est fidei infirmitas, ut non intelligant omnia, quæ Christus dicit.

## CAPUT XXVIII.

## CONTINENS HISTORIAM COLLOQUII INTER CHRISTUM ET NICODEMUM,

Johan. 3.

## RATIO ORDINIS.

**N**liquoties jam ostensum est, inter hæc historias usque ad quartum caput à Johanne descriptas, ex reliquis Evangelistis nihil vel posse vel debere inseri: sed *εἰς τὸν ἀναλόγητον*, seriem consecutionis historiarum, à Johanne notatam, sequendam. Cum enim reliqui historias post captivitatem Baptistæ describant, Matth. 4. v. 12. Marc. 1. v. 14. Johannes sub finem terti capitis disertè ostendit, se ea narrare, quæ gesta sunt, priusquam Baptista in carcerem conjiceretur. Præcedentibus igitur ea, quæ in hoc tertio capite sequuntur, subjungenda esse, non est dubium. Sed videndum est, an in descriptione Joannis aliquid, quod ad notationem circumstantiarum, temporum & locorum faciat, observari possit. Non autem existimandum est, vel in ipso festo Paschatis, vel paulò post, cum Jesus adhuc à festo commoraretur Hierosolymis, colloquium hoc inter Nicodemum & Christum institutum fuisse. Johannes enim in fine secundi capitis indicat, se ea, quæ gesta sunt, cum in festo Paschatis Jesus Hierosolymis esset, capite secundo descripsisse. Cum autem addit: (*Ipse autem Jesus non crede-*

*bat seipsum eis.*) Judæis scilicet in Hierusalem, ostendit, Jesum post festum non diu mansisse Hierosolymis, sed relicta urbe aliò secessisse, (sicut & aliàs exactis diebus festis non solitus fuit diu in urbe commorari.) Et post illum à Hierosolymis discessum illud cum Nicodemo accidisse, ordo descriptionis manifestè ostendit. Nicodemum autem in urbe Hierusalem habitasse, & unum fuisse ex senatoribus illius loci, colligitur ex historia Johan. 7. v. 50. Non ergò in illo secessu extra Jerusalem Nicodemus Jesum adiit: sed factum hoc fuit, quando ex illo secessu Jesus reversus fuit Hierosolymas. Quod, quando factum sit, Evangelista non disertè ponit: colligi tamen verisimiliter ita potest. Generale hoc est in tota historia Christi, quòd non ascendit Hierosolymas, nisi in sollemioribus festis. Verisimile igitur est, quòd in uno aliquo ex sollemioribus festis, quæ primo illo anno ministerii Christi post Pascha secuta sunt, Jesus reversus Hierosolymas, in colloquium cum Nicodemo inciderit. Et quia post colloquium illud, de commoratione Jesu in tribu Juda, Johannes postea utitur verbo *ἀγαπήσεν*, quod diurnam & longiorem commorationem significat.

Harm. Tom. I.

U 2

Pro